

88.2.1.1.2.2
ab. 1919 70

SUMMO FAVENTE NUMINE!
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
**ESSENTIIS
RERUM,**

CUJUS
PARTEM PRIOREM,
IMPETRATA AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.
VENIA IN REGIA ACADEMIA ABOENSI,

Sub PRÆSIDIO
VIRI MAXIME REVERENDI *atque CELEBERRIMI*
**D:NI DOCT. CAROLI
MESTERTON,**

SCIENT. LOG. & METAPH. PROFESS. REG. & ORD.
PUBLICÉ DEFENDET

AUCTOR
ERICUS FORSIUS,

HELSINGFORSIA-NYLANDUS,
DIE III. DECEMBR. ANNI MDCCCLX.
L. H. Q. A. M. S.

ABOÆ Impressio.

SÆ RÆ M:TIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
ILLUSTRISSIMO atque CELSISSIMO
COMITI ac HEROI,

D: NO CAROLO GUSTAVO TESSIN,

Regis Regnique SVÆCIÆ SENATORI,
Cancellariæ Regiæ PRÆSIDI,
Supremo Aulæ PRÆFECTO,
Regiæ Celsitudinis, PRINCIPIS Successoris,
GUBERNATORI,
Regiæ Academiæ Aboënsis CANCELLARIO,
Ordinum Regiorum EQUITI,
COMMENDATORI & CANCELLARIO,
Atque Ordinis Aquilæ Nigræ EQUITI,
MÆCENATI SUMMO.


ILLUSTRISSIME atque CELSISSIME
COMES,
DOMINE GRATIOSISSIME.

*N*ovo honorum cumulo salutisque publicæ robore beata omnino est respublica, in qua Viri natalium & numeris splendore insignes, justum illis pretium statuere norunt, quotquot nova in orbe literario moliri, novasque veritates in lucem protrahere satagunt. Quamvis enim in litterarum sollertia cultura magna vis ad perennatram reipublicæ felicitatem posita est; & fortius quam diei potest, reipublicæ decus floremque tuetur novarum veritatum inventio: pauci tamen sunt, qui vehementissimo a natura connato impetu, ipsaque veritatis nativa pulebritudine allecti, feruntur ad summam, quam consequi unquam possint, variarum rerum cognitionem acquirendam, novisque veritatibus studendum; nisi illustrissimorum Virorum cognito erga novarum rerum inventores favore, ad studia sua alacrius obeunda & continuanda merifice excitentur atque exstimentur. Hinc Imperatoribus, Regibus, & Principibus, aliisque Heroibus nullo non tempore illud curae fuit, ut artium Palladiarum cultoribus suo favore auxilioque adessent, eosque in litterarum studiis mutantes quasi confirmarent, & ad alacriorem cursum incitarent. Beata itaque nostra

fira decantanda est respublica, quæ Te, ILLUSTRISIME COMES, superbit, Cui novarum rerum inventoris nomen quin carum, alnum, ac venerabile sit, minime dubitare neminem sinit cognitus celebratusque TUUS erga novarum rerum inventores Heroicus favor. Unde hanc, quam in lucem publicam adfero, dissertationem cur CELSISIMO NOMINI TUO consecrare ausus sim, ratio est in promtu. Executitur in illa tot difficultatibus implicata doctrina de essentiis rerum, in qua enodanda frustra torserunt exercueruntque ingeniorum suorum vires Philosophi, in quo autem pulchro argumento executiendo ego solus versatus sum. Spero itaque, CELSTUDINI TUE nec displicere hancce, quam in solitudine elaboravi, disputationem, levidense illam quidem, & ingenii mei juvenilis fœtum, at ejusmodi tamen, ut evidenter demonstret, mibi nihil prius esse, nihil antiquius, quam conquerere omnia, quæ me indefessum novarum veritatum speculatorum venatoremque probare possunt. Quod reliquum est, Summum cœli terræque Dominum humillimis precibus fatigare nunquam cessabo, ut CELSTITUDINEM TUAM, tamdiu incolunem conservare velit, quamdiu ardentissimis opto suspiriis. Sic enim CELSTUDO TUA in seram posteritatem vivit, reique cum publicæ, tum literariæ, diurno est præsidio & ornamento. Ero dum vixero

**ILLUSTRISSIMI atque EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TUI**

*Devotissimus cliens,
ERICUS FORSIUS.*



P R A E F A T I O .



I verum est, ut omnino esse confidimus, eum demum philosophari dicendum esse, qui rationem secutus ducem, verum nihil dicit, nisi quod idoneis, & indoli rei accommodatis argumentis, tanquam firmissimo suo fundamento superstruitur; intelligitur credo, veri nominis philosophum, nec antiquitatem temporis, nec ætatis novitatem, admodum curare, sed suarum sententiarum præstantiam, ex indole rei, & ratione tanquam optima rerum magistra æstimare. Qui itaque antiquitatis amore ita fascinati fuere Philosophi, ut ex annorum multitudine omnia ponderarent, e recta omnino exciderunt via. In hujus vitii notam incurrebant superiorum seculorum Philosophi, cuius rei plurima & verborum & rerum adsunt testimonia. Testante enim Thomasio, Philosophiae principia superioribus seculis adoptaturi, summosque in eadem honores adepturi, jurejurando sese ipsos sancte obstringebant, sese

A

Philoso-

Philosophiæ Aristotelicæ fore observantissimos, nec novi quid in Philosophia molituros. Atque hoc vinculum pietatis, quo obstricti & religati fuerunt Aristoteli nominati Philosophi, nonnullos eo adduxit, ut ipsam Aristotelis Ethicam coram concione explicandam existimaverint, revera autem dapes incoctas concioni apponere voluerunt. Nec desunt huic rei rerum testimonia. Huic enim rei argumento sunt, cum innumeri libri commentarii in Aristotelis scripta confecti, tum tot logica totque Metaphysica scripta, in quibus Aristotelis principia, ne ungve quidem transverso ab iis recesso, adoptantur. Turpissima autem hac Philosophandi servitute, magna labes castæ veritati adspergebatur, formaque Philosophiæ misere deformata jacuit. Quemadmodum autem hi Philosophi veram Philosophandi rationem non inierunt; ita, qui non dubitant effronti impudentia antiquitatem aspernari, & omne id quod recens est & nuper natum pro vero censere, sive de cetero rationi sit conveniens siue eidem adversatur, a vera Philosophandi via, longissime quoque deflectere censendi sunt. Recentiores fateor, meditationis ope multas, quæ maxima fere commendant utilitate, in lucem conspectumque protulisse veritates, quæ ante jacebant in tenebris, & obscura nocte quasi tegebantur. Ast qui novitati & recentiorum quorundam auctoritatiantum in Philosophando tribuunt, ut in eorum verba jurare videantur, & ultra eos sapere velle nefas ducant, illi meo quidem judicio ratione non utuntur,

utuntur, verique nominis Philosophorum in numerum non sunt cooptandi. Anne enim penes prudentiores valebit hæc argumentatio: *bæc vel illa sententia nova est.* Ergo non potest fieri, quin sit, eadem vera. Quærenti mihi, in promptu esse spero, quid respondeas. Philosophos itaque hos nullus sagacissimus rerum æstimator laudat, apud quos vel antiquitatis veneratio in tam nimio pretio est, ut cum Aristotele & sentiant & loquantur, vel novitatis nomen tantum pretii retinet, ut ultra Cartesium, Leibnitium, Wolfium, Wallerium & alios sapere velle magnum piaculum ducere videantur. Ipse B. L. plus satis videbis, me in hac de essentiis rerum commentatione a Metaphysicorum prudentiorum placitis dissidere. Mente enim, a præjudicatis, quæ judicium veri tollunt, opinionibus, aliena Metaphysicam legenti mihi multum suppeditatum est, in quo cognoscendo sponte versatus sum, & rem quasi ab utraque parte proposui, prout duo qui inter se objiciunt, adeo ut animus meus saepe dubius hæserit in quam partem inclinaturus esset; re autem ad vivum excussa, almam illam veritatem hunc in modum scrupulosissime quæsitam, demum animo complexus sum atque clare percepi. Unde quoque deprehendi multis in locis errores pro veritatibus venditare, nugasque sectari Metaphysicos. Excipe itaque B. L. hanc de essentiis rerum disputationem, in qua novum & inauditum exstat, attamen in re omnino fundatum: quam excipient suo tempore, si DEI Numen vi-

res, & tempora negotiis tractandis vacua concesse-
rit, tractationes aliæ, in quibus novorum dogma-
tum fontes tibi propinuantur. Benignissimum Inte-
rea Numen, propitium rebus humanis, in quibus
nihil sine benedictione ejus perfectum est, jubeat
hosce conatus meos esse fortunatos.

§. 1.

Dicis *intrinsece seu absolute possibile*, quod in se
& idea sua, citra ullam aliam determinatio-
nem, & conditionem ideæ rei superacecedentem,
nullam involvit contradictionem: *Intrinsece seu*
absolute impossible, quod in se & idea sua, citra
ullam aliam determinationem, vel conditionem i-
deæ superacecedentem, contradictionem involvit:
ens autem, cui existentia non repugnat.

Cave, existemes, me heic ultra justos instituti mei,
argumentiq; hac in dissertatione excutiendi, terminos pro-
gredi, arcessitis huc longiusque quam par est petitis defi-
nitionibus, & conclusionibus, huic meæ commentationi, nul-
lo modo accommodatis. Hæc enim definitiones & conclu-
siones fundamenti instar præfultas, huic de essentiis rerum
disputationi confirmandæ pleniusque intelligendæ inservire,
plus satis constat inter quemlibet, qui, a partium studio alien-
us, & solius veritatis studio sincere deditus rem dijudicat.

§. 2. *In idea sua contradictionem involvere dic-
tur*, cujus notiones partiales, totalem constitu-
entes, se mutuo destruunt, seu, quod constat prædi-
catis sibi mutuo repugnantibus. Nullam autem
contradictionem in idea sua involvere dicitur, cujus
notiones

notiones partiales totalem constituentes, sibi invi-
tem non contradicunt, seu, quod constat prædica-
tis sibi mutuo non repugnantibus. Cum itaque
absolute impossible audiat, quod in idea sua con-
tradictionem involvit, absolute autem possibile,
quod in idea sua nullam involvit contradictionem
§. præcid. consequitur inde, ut absolute impossibi-
le sit, cujus notiones partiales, totalem constituen-
tes sese invicem tollunt, seu, quod constat prædica-
tis sibi mutuo repugnantibus, absolute autem pos-
sibile, quod constat prædicatis sibi invicem non
repugnantibus.

§. 3. *Opposita* sunt, quorum unum involvit
negationem alterius. Dispescuntur hæc in contra-
rie & contradictorie opposita. *Illa*, uni enti non
quidem simul, successive tamen inesse possunt.
Hæc, neque simul, neque successive uni enti inesse
possunt. Vid. Syst. Met. Cel. Wallerii §. 424. 425.

§. 4. *Absolute impossible, & absolute possibile sunt
opposita, & quidem contradictorie opposita.* Absolute
enim impossible est, quod in idea sua involvit
contradictionem, absolute autem possibile, quod in
idea sua nullam involvit contradictionem §. 1. Ab-
solute ergo possibile involvit negationem absolute
impossibilis. Ast opposita sunt, quorum unum in-
volvit negationem alterius §. præced. Absolute ergo
possible & absolute impossible sunt opposita Q.
E. U.

Absolute possibile nullam infert repugnantiam
in idea sua, infert vero illam repugnantiam abso-
lute

lute impossibile §. 1. hinc sibi mutuo contradicunt per def. contradictionis. Sunt ergo absolute possibile & absolute impossibile contradictorie opposita.
Q. E. A.

§. 5. *Quod est absolute impossibile, non est absolute possibile.* Absolute enim impossibile, & absolute possibile sunt opposita §. præced. Ast opposita sunt, quorum unum involvit negationem alterius §. 3. Ergo absolute impossibile involvit negationem absolute possibilis. Quod ergo est absolute impossibile, non est absolute possibile. Q. E. D.

§. 6. *Absolute impossibile est, ut absolute impossibile sit absolute possibile.* Nec absolute impossibile ullo modo fieri potest absolute possibile. Absolute enim impossibile & absolute possibile sunt opposita §. 4. Ast opposita sunt, quorum unum involvit negationem alterius §. 3. Erga absolute impossibile involvit negationem absolute possibilis. Si ergo absolute impossibile esset absolute possibile; absolute impossibile esset absolute impossibile & simul non esset absolute impossibile. Ast absolute impossibile est, idem simul esse, & non esse per princ. contrad. Ergo absolute impossibile est, ut absolute impossibile sit absolute possibile. Q. E. U.

Prius hoc hujus propositionis membrum extra dubitationis aleam positurus, calculum hunc quoque subducere possum: Ponamus absolute impossibile esse absolute possibile, quid inde aliud sequeretur, quam ut notiones partiales absolute impossibile & absolute possibile ingredientes repugnantiam

gnantiam inferrent. Absolute enim impossibile in idea sua involvit contradictionem, absolute autem possibile nullam in idea sua involvit contradictionem §. 1. & sic, si absolute impossibile esset absolute possibile, notiones partiales absolute impossibile & absolute possibile ingredientes repugnantiam omnino inferrent. Ast quod in idea sua infert repugnantiam est absolute impossibile §. 1. Ergo absolute impossibile est, ut absolute impossibile sit absolute possibile.

Absolute impossibile & absolute possibile esse contradictorie opposita, fateri necessum habent omnes, §. 4. Ast contradictorie opposita neque simul neque successive uni enti, inesse queunt, §. 3. Absolute ergo impossibile & absolute possibile neque simul neque successive uni enti inesse possunt. Absolute ergo impossibile nullomodo fieri potest absolute possibile. Q. E. A.

§. 7. Prædicata entis sibi mutuo non-repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in ipso ente determinantur, reliqua vero quæ rei insint, vel inesse possunt prædicata determinantia, uno nomine *essentiae* insigniuntur. Cum hacce essentiæ definitione belle convenire illam Wolfianam essentiæ definitionem, qua essentia definitur per id quod primum de ente concipitur, & in quo ratio continetur sufficiens, cur cetera vel actu insint, vel inesse possint, neminem Metaphysics cognitione vel mediocriter instructum, fugere potest. Immo hasce definitiones exacte respondere plurium & veterum

terum & recentiorum definitionibus nos satis edocet Cel. Wallerius §. 322. Syst. Met. Eandem itaque essentiae definitionem quam recentiores & antiquiores habent, retineo, ne in eorum nugis & ineptiis retundendis videar aërem ferire, & alie nam terminorum notionem aliis confutandis adfangere.

§. 8. *Absolute impossibili essentia non competit.* Ponamus enim absolute impossibili competere essentiam; quid quæsto aliud inde sequeretur, quam ut absolute impossibili competeteret non-repugnantia §. præced. Sed absolute impossibili non competit non-repugnantia. Nam absolute impossibile non est absolute possibile §. 5. Ergo absolute impossibili essentia non competit. Q. E. D.

Hanc modo dictam propositionem veram esse, etiam ex hoc fundamento patet: Absolute impossible est, quod constat prædicatis sibi mutuo repugnantibus §. 1. 2. Ast omne id, quod habet essentiam, habet prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliqua vero quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata determinantia. §. præced. Ergo absolute impossibili essentia non competit.

§. 9. *Absolute impossibili essentia non competere potest.* Et cui essentia nullo modo competere potest, est absolute impossible. Si absolute impossibili compete re posset essentia; absolute impossibili competere posset non-repugnantia §. 7. Sed absolute impossibili

bili nullo modo competere potest non-repugnantia. Nam absolute impossible nullo modo fieri potest absolute possibile §. 6. Ergo absolute impossible nullo modo competere potest essentia. Q. E. U.

Cui essentia ullo modo competere nequit, id ita comparatum est, ut ei nullo modo competere possit non-repugnantia prædicatorum. §. 7. Ast absolute impossible est ejusmodi indolis. Nam absolute impossible nullo modo fieri potest absolute possibile §. 6. & sic ei nullo modo competere potest non-repugnantia prædicatorum §. 1. 2. Cui ergo essentia nullo modo competere potest, est absolute impossible. Q. E. A.

§. 10. *Absolute possibili competere potest essentia.* Ponamus enim absolute possibili non posse competere essentiam, inde omnino consequens esset, ut ei competere non posset non-repugnantia prædicitorum §. 7. Sed hoc est absurdum §. 1. 2. Absolute ergo possibili competere potest essentia. Q. E. D.

Hanc propositionem veram esse non solum e modo dicto fundamento patet, sed etiam hocce argumento demonstrari potest: Ponamus enim absolute possibili non competere posse essentiam, inde omnino sequeretur, illud esse absolute impossible §. præced. Hinc absolute possibile, & absolute impossible non essent opposita. Sed hoc est absurdum §. 4. Ergo absolute possibili competere potest essentia. Q. E. D.

B

Hanc

Hanc propositionem tutissimam esse, hoc quoque modo probari potest: Absolute possibile, & absolute impossibile sunt opposita §. 4. Ast de oppositis valent opposita. Ergo, quoniam §. 9. demonstravi, absolute impossibili non posse competere essentiam; nihil aliud relinquitur quam ut statuamus, absolute possibili competere posse essentiam. Q. E. D.

§. 11. *Cui essentia competere potest, est absolute possibile.* Id cui essentia nullo modo competere potest, & id cui essentia competere potest, sunt opposita §. 3. Sed cui essentia nullo modo competere potest est absolute impossibile §. 9. Ergo cui essentia competere potest est absolute possibile, nam de oppositis valent opposita. Cui ergo essentia competere potest est absolute possibile. Q. E. D.

Hanc propositionem pro natura, & indole sua soliditatem habere summam, etiam hoc modo patet: Ponamus, id, cui essentia competere potest, non esse absolute possibile, quid aliud inde sequeretur, quam ut esset absolute impossibile §. 4. Huic autem essentia competere nequit §. 9. ergo ei, cui essentia competere non possit, simul posset competere. Sed hoc repugnat principio contradictionis. Patet ergo id, cui essentia competere potest, esse absolute possibile. Q. E. D.

§. 12. *Quidquid habet essentiam, habet quoque absolutam possibilitatem.* Quod enim habet essentiam, habet prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in

re

re determinantur, reliqua vero, quæ rei insunt, vel inesse possunt, determinantia §. 7. Videmus ergo, id quod habet essentiam, habere prædicata sibi mutuo non repugnantia. Sed absolute possibile est, quod constat prædicatis sibi mutuo non repugnantibus §. 1. 2. A veritatis ergo tramite non aberro, quando statuo, id quod habet essentiam habere absolutam possibilitatem. Q. E. D.

Hanc thesin veram esse, quam luculentissime quoque patet ex hacce demonstratione: Pone enim illud, quod habet essentiam, non habere absolutam possibilitatem, haberet itaque absolutam impossibilitatem, seu, esset absolute impossibile §. 4. Hinc quia per hypoth. habere essentiam ponitur; absolute impossibili essentia competeteret. Sed absolute impossibili essentia non competit §. 8. Eidem ergo simul competeteret & simul non. Id quod cum per principium contrad. fieri nequeat; intelligitur satis, quidquid habet essentiam, habere absolutam possibilitatem. Q. E. D.

§. 13. *Absolute possibili non competit ideo essentia.* Consistit enim intrinseca rei possibilitas in non-repugnantia notionum rei partialium §. 1. 2. Posita ergo rei intrinseca possibilitate, non ponuntur nisi notiones rei partiales, quæ sibi invicem non repugnant, seu, prædicata rei sibi mutuo non repugnantia. Essentia vero suo ambitu comprehendit non solum prædicata sibi mutuo non repugnantia, sed etiam ejusmodi NB. prædicata sibi mutuo

mutuo non repugantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliqua vero, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, determinantia §. 40. Posita ergo absoluta rei possibilitate, non statim ponitur essentia. Nudo ergo absolute possibili non competit essentia. Q. E. D.

Non contempnendæ sunt plane istæ rationes, quibus propositiones hisce duabus §. contentas probatum ivi Si enim Methaphysici in eas, præjudicatis opinionibus errori suo renunciare jussis, inquirant; id certe efficiunt, ut palinodiam canant, & non amplius ea stent sententia, essentias, vel ipsa nuda rei possibilitate intrinseca absolví, vel per essentiam ens esse intrinsece possibile. Et certe occasio horum cerebosorum assertorum inter alia ex eo enata est, quod viderint Metaphysici notionem essentiæ ingredi notionem intrinsecæ rei possibilis. Si autem simul consideravissent, notionem intrinsecæ possibilis non constituere totam essentiæ notionem; & id quod habet essentiam habere quidem intrinsecam possibilitem, nudæ tamen intrinsecæ possibilitati non ideo competere essentiam, haud secus ac id quod existit esse intrinsece possibile, non omne tamen intrinsece possibile ideo existere: in tales monstrosas & erroneas hac de re non prolapsi fuissent opiniones; nec tam multa in doctrina de essentiis rerum existentent sententiarum divortia. Id quod fidenter dico, & citra ambages.

§. 14. Cum absolute possibili essentia non competit, ei tamen essentia competere possit, §. 13. 10. intelligitur credo, longe plures dari abso-

lutas

lutas possibilates, quam essentias, atque adeo ab intrinseca possibilitate ad essentiam nullam valere consequentiam, atque sic, præter nudam absolutam possibilitem, aliud adhuc requiri ad essentiam. Jure igitur quæritur: quid præter nudam intrinsecam possibilitem ad essentiam requiratur, quam arduam multisque difficultatibus interclusam quæstionem excutere jam jam facile possum.

§. 15. In apricum præcedenti §. productam quæstionem quod attinet; illam jam excusam esse §. 13, cuivis vel primo intuitu constare poterit. Ex demonstratione enim, quam circa nominatam §. attuli, cuivis colligere integrum est, præter nudam absolutam possibilitem ad essentiam requiri NB. talia prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliqua vero, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, determinantia.

§. 16. Præter meram intrinsecam possibilitem ad essentiam requiri talia prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliqua vero, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, determinantia, ex antecedenti constat Paragrapho. Hinc ergo recte argumentum duci potest pro hac essentiæ definitione: essentia est complementum intrinsecæ possibilis, quo habet talia prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se mutuo, nec ab alio priori in re determinantur, quæ vero reliqua,

B 3

reliqua, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicta, determinant.

§. 17. Perinde autem est, sive definiveris essentiam per illud possibilitatis complementum, quo habet ejusmodi prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliqua vero, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata determinantia, sive per illud possibilitatis complementum, quo habet talia prædicata quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, quæ vero reliquorum, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, determinantia, rationem sufficientem in se continent. Id quod ita probo: Essentia est illud possibilitatis complementum, quo habet illa prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, & reliqua, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, determinantia, §. præced. Ast determinantia sunt ratio satisficiens determinatorum Metaph. Ergo essentia est illud possibilitatis complementum, quo talia prædicata sibi mutuo non repugnantia habet, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, & reliquorum, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, rationem sufficientem in se continent.

§. 18. A variis varias constat existentiæ definitiones adferri, quas heic recensere illa cui nos studemus brevitas vetat. Id tamen circa hasce definitiones monebo, existentiam recte definiri per il-

Id

lud possibilitatis complementum, quo habet talia prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliqua vero, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata determinantia. Quæ existentiæ mea definitio, si rite intelligatur; tanta certe veritatis luce radiat, ut nihil videam, quod cum ratione illi obverti possit. Sua enim veritate constat, quod ajunt Metaphysices Doctores, existentiam esse aliquod possibilitatis complementum. Deinde quoque verum est, quod concedunt Metaphysici, inter essentiam actualem, seu physico sensu, ut loqui ament, sumtam, & existentiam nullum reale dari discrimen. Quibus assertis Metaphysicorum scripta abundant. Ego vero eorundem cumulatione, brevitatis ergo, supersedeo. Denique plane frigida, innanis, ideoque nec vera & genuina est distinctio existentiæ inter essentiam sensu Metaphysico & sensu Physico sumtam. Essentia enim existentiæ objective expers, est purum putum non ens, phantasma & vertigo cerebri Metaphysici; id quod tota mea hæc disputatio abunde probat. Ex hisce itaque, quæ jam dicta sunt, subductis rationibus, & definitione existentiæ quam tradit Cel. Wallerius collata, quam luculentissime patet meam existentiæ definitionem veram esse & concessis Metaphysicorum corroboratam. Cum enim ad existentiæ notionem præter alia primo requiratur hoc, quod sit aliquod possibilitatis complementum; cum deinde inter essentiam actualem & existentiam nullum reale intercedat

tercedat discrimin, & essentia existentiæ *objective* expers sit commentum cerebri metaphysici, & certe idem ac ignis frigidus; essentia autem definiatur per prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, quæ vero reliqua quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata determinant: lucem in meridie omnino negat, qui sæpius nominatam existentiæ meam definitionem veram, & genuinam esse negat.

§. 19. Quoniam itaque existentiæ, & essentiæ eadem competit definitio §. 16. 18.; essentiam & existentiam inter nullam intercedere distinctionem realem, res ita est in promtu ut prolixiori disputacione non egeat. Nam inter unum idemque singulare distinctionem realem, fictio est, in qua omnino deprehenditur, quod in prudentioris comprehensionem incurrat.

Labore plura hac de re dicendi nunc supersedeo. Monstro tamen circa hanc rem longe plura in dissertatione, quam in posterum publicæ luci exponere mihi est in animo sub titulo: *Dissertatio de constitutione Philosophiæ primæ.*

§. 20. *Ens est absolute possibile. Et absolute possibile est ens.* Ens enim est cui existentia non repugnat §. 1. Sed cui non repugnat existentia est absolute possibile §. 11. 19. Ens ergo est absolute possibile. Q. E. U.

Qui existentia non repugnat est ens §. 1. Absolute autem possibili existentia non repugnat §. 10. 19. Ergo absolute possibile est ens. Q. E. A.

§. 21. De-

§. 21. Demonstrativi §. 13. nudo absolute possibili non competere essentiam. Sed ens est absolute possibile, & absolute possibile est ens per §. præced. Ergo nec enti competit essentia. Ut autem hoc clarius elucescat, mihi melior ansa detur, obviam eundi quam plurimis, qui in doctrina de essentia entis animos Metaphysicorum occuparunt, erroribus; addere lubet propositiones quæ directe opponuntur iis, quas hucusque Metaphysics Doctores in doctrina sua de essentia entis adhibuerunt, propositionibus. Ante vero quam hoc eo, quo par est, rigore fieri poscit; in antecessum præmittenda est brevis explicatio conceptus rei primi, & secundi, & sensus eorum distincte eruendus & proponendus.

§. 22. *Primus itaque rei conceptus, seu constitutivus est*, qui ponitur non præsupposito alio priori in ipsa re unde determinetur, seu, per quem reliqua alia quæ rei insunt, ponuntur. *Secundus autem rei conceptus est*, qui determinatur per primum, seu, quo posito conceptus rei primus ponendus est. Intelligimus itaque hinc illum esse determinans; hunc autem esse determinatum, determinans enim id dico, per quod aliud determinatur & ponitur, determinatum autem quod per aliud determinatur, seu, quo posito, aliud prius ponendum est. Posito autem determinante, ponitur determinatum, & posito determinato ponitur determinans Met. Posito itaque conceptu rei primo, ponuntur secundi, & positis conceptibus secundis, ponitur conceptus rei

G

rei primus. Porro, quoniam determinans est ratio sufficiens determinati Met. & conceptus rei primus est determinans, concepsus autem rei secundus, seu consecutivus est determinatum; cogitur inde & efficitur hoc effatum, quod conceptus rei primus sit ratio sufficiens conceptum ejusdem rei secundorum.

In dilucidationem horum, & sequentium ubiorem probe observasse oportet, accipere me heic conceptum, quem in primum & secundum distinguo, eodem sensu, ac dissidentes accipiunt, nim. *objedive* pro re ipsa representata, id quod vel definitiones in conceptum rei primum, & secundum datae cuivis facile insinuant. Sed hac de re, in parte posteriori, ex professo agere constitui.

Quod heic conceptus rei primi & constitutivi nomen sibi vindicat, alias appellatur complexus essentialium, atque essentialiam entis constituit. Quod autem heic nomine conceptus rei secundi & consecutivi insignitur, alias nomine attributorum, & modorum qua scil. possibilatem horum venit. Ex hisce itaque, omissa ulteriori deductione, multæ consequuntur propositiones, quarum nonnullas strictim resensere animum induxi. Parte hinc a) essentialia in re esse determinans, attributa vero & modos qua vid. suam possibilatem, esse determinatum. Consequitur ex hisce b) positis essentialibus, ponit attributa, & modos ipsos qua scil. possibilatem suam. Colligi hinc denique c) potest, essentialia in se continere rationem sufficientem attributorum, & modorum qua scil. horum possibilatem.

§ 23. Conceptus rei primus absolvitur praedicatis rei sibi mutuo non repugnantibus, que nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, conceptus autem rei secundus absolvitur praedicatis sibi mutuo

tuo non repugnantibus, que per primum conceptum determinantur. Ad omnem constituendum conceptum requiruntur praedicata sibi mutuo non repugnantia, nam conceptibile audit, quicquid constat praedicatis sibi mutuo non repugnantibus. Idem itaque requisitum primum ingreditur conceptum §. 22. Cum autem ille ex alio priori in ipsa re non determinetur §. cit. continere nequit nisi praedicata ejusmodi sibi mutuo non repugnantia, que ex alio priori in ipsa re non determinantur. Porro: Quia quicquid ex alio in ipsa re determinatur, conceptum ejus constituit secundum qui conceptum primum non ingreditur §. cit. sed ei potius per suam notionem opponitur; conceptus primus constat praedicatis sibi mutuo non repugnantibus, que nec a se invicem, nec ab alio priori in ipsa re determinantur. Q. E. U.

Ad omnem constituendum conceptum requiruntur praedicata sibi mutuo non repugnantia, conceptibile enim dicitur, quod constat praedicatis sibi mutuo non repugnantibus. Idem itaque requisitum secundum ingreditur conceptum §. 22. Cum autem ille per primum conceptum determinetur §. cit. continere nequit nisi illa praedicata sibi mutuo non repugnantia, que per primum conceptum determinantur. Absolvitur ergo conceptus rei secundus illis praedicatis sibi mutuo non repugnantibus, que per primum conceptum determinantur. Q. E. A.

§. 24. Ens suo conceptu comprehendit solum praedicata sibi mutuo non repugnantia. Ens autem actuale

le comprehendit & illa prædicata sibi mutuo non repugnantia quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, & simul quæ ex hisce determinantur prædicatis. Entis enim conceptus solum ea continet, quibus interna constituitur possiblitas §. 20. Absolvitur proinde notionibus partialibus h.e. prædicatis sibi mutuo non repugnantibus §. 1. 2. Continet ergo suo conceptu solum prædicata sibi mutuo non repugnantia. Q. E. U.

Ens actuale concipiendum est, ut id cui competit existentia, ens enim actuale definitur per ens, quod existit, seu, quod habet existentiam. Met. Sed existentiam constituunt illa prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, quæ vero reliqua quæ rei insunt, vel inesse possunt, prædicata determinant §. 7. 19. Entis ergo actualis conceptus illa continet prædicata sibi mutuo non repugnantia quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, quæque reliqua quæ rei insunt, vel inesse possunt, prædicata determinant. Sed posito determinante, ponitur determinatum. Met. Entis ergo actualis conceptus continet & illa prædicata, quæ ex nominatis prædicatis determinantur. Continentur itaque in conceptu entis actualis duplicitis generis, quæ loquimur, prædicata. Q. E. A.

§. 25. Si ens concipiendum est; in eo prædicata sibi mutuo non repugnantia ponere solum licet. Si vero ens actuale concipiendum est; & ex iis quæ fundamenti & rationis sufficientis instar præcedunt, cognitio nostra

nostra initia sua captura sit: primo loco in eo ponenda sunt prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur; secundo autem loco ea ponenda sunt prædicata, quæ ex hisce prædicatis determinantur. Ens enim suo conceptu comprehendit solum prædicata sibi mutuo non repugnantia §. 24. Patet ergo ens conceptus, in eo prædicata sibi mutuo non repugnantia solum ponenda esse. Q. E. U.

Ens actuale suo conceptu comprehendit & illa prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, & simul quæ ex hisce determinantur prædicatis §. 24. Illa ergo prædicata sunt determinantia. Hæc vero sunt determinata. Sed determinans est ratio sufficiens determinati. Met. Ergo illa prædicata sibi mutuo non repugnantia quæ nec a se invicem nec ab alio priori in re determinantur, illa inqnam prædicata rationis sufficientis loco præcedunt, hæc autem prædicata, quæ ex illis determinantur, principiati instar succedunt. Liquet adeo, nos ens actuale concepturos, & ex iis quæ fundamenti instar & rationis sufficientis loco præcedunt, incepturos, primo loco ponere debere illa prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, secundo autem loco nos ea ponere debere prædicata, quæ ex illis determinantur prædicatis. Q. E. A.

§. 26. Ex definitione essentiæ §. 7. tradita,
C 3 deducto

deducto veluti rivulo fluit 1:mo ut quis essentiam hujus vel illius entis investiget & cognoscat, requiri, ut explorata & perspecta habeat illa ejus prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in eodem ente determinantur, quæ autem reliquis, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicatis determinandis inserviunt 2:do essentiam *absolvi conceptu rei primo* §. 23. & sic esse rationem sufficientem omnium entis conceptum secundorum §. 22. ita ut illa posita, simul ponantur omnes conceptus secundi. §. 22.

§. 27. Est essentia ratio sufficiens omnium conceptum rei secundorum §. 26. h. e. omnium prædicatorum quæ constanter rei insunt, vel inesse possunt §. 22. Qui ergo essentiam rei sibi perspectam reddidit, rationem reddere potest omnium eorum quæ rei constanter insunt, vel inesse possunt. Et vicissim: Qui rationem reddere potest omnium eorum, quæ rei convenient, vel inesse possunt, essentiam rei penitus perspicit.

§. 28. Mera intrinseca rei possilitas, est quodam quasi fundamentum essentiæ. Positis enim prædicatis sibi mutuo non repugnantibus, ponitur tanquam aliquod fundamentum ejusmodi prædicatorum sibi mutuo non repugnantium, quæ nec ab alio priori in re, nec a se invicem determinantur, quæ autem reliqua, quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata determinant. Ipsam autem essentiam constituunt hæc prædicata §. 7. Positis itaque prædicatis sibi mutuo non repugnantibus, ponitur

ponitur tanquam aliquod fundamentum essentiæ. Sed prædicatis sibi mutuo non repugnantibus constituitur ipsa rei intrinseca possilitas §. 2. Posita ergo intrinseca rei possilitate, ponitur aliquod fundamentum essentiæ. Intrinseca ergo rei possilitas est tanquam fundementum essentiæ Q. E. D.

Hoc non ita intelligendum esse volo, quasi intrinseca rei possilitate determinaretur essentia, adeo ut, posita intrinseca rei possilitate, poneretur quoque essentia. Quod enim hæc non sit mens mea, hoc est, de quo neminem dubitare sinunt §. 12. 13. & alia quamplurima loca. Sed hæc loquendi formula solum prolixius indigitare volui, quod jam §. 10. statui, intrinsece possibili competere posse essentiam, haud secus ac fundamento quodam certo posito dominus & ædificium superstrui possit. Imprimis autem hanc propositionem calamo excepti, ut hac quoque ratione ex omnibus dubiis, & incertitudine de falsitate propositionum, quæ cancellis §. 324. Syst. Wall. Met. & §. 153. Ont. Wolf, incliduntur, candidus lector eluctari possit.

§. 29. Ens suo conceptu, nec comprehendit essentiam, nec conceptus secundos. Ens vero actuale comprehendit & essentiam, & conceptus secundos. Ens enim suo conceptu nec continet illa prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem nec ab alio priori in re determinantur, nec quæ ex hisce determinantur prædicatis §. 24. Illa essentiam entis absolvunt §. 7. Hæc conceptus ejus secundos constituunt §. 23. Ergo ens suo conceptu nec essentiam, nec conceptus secundos comprehendit. Q. E. U.

Ens actuale suo conceptu comprehendit & illa prædicata

prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, & illa quæ ex hisce determinantur prædicatis §. 24. Illa essentiam rei absolvunt. §. 7. Hæc conceptus ejus secundos constituant §. 23. Ergo ens actuale suo conceptu comprehendit & essentiam, & conceptus secundos. Q. E. A.

Fidenter ergo, & sine ambagibus dico: ens suo conceptu nec comprehendit essentialia, nec attributa, nec modos qua possibilitem horum, ens vero actuale comprehendit suo conceptu, essentialia, attributa, & modos, qua scil. possibilitem horum: quicquid enti actuali inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel modos referendum est: Essentialia attributa, & modi qua videlicet suam possibilitem, enti actuali constanter insunt h. e. tamdiu quamdiu ens actuale est, nec ens actuale sine essentialibus, attributis, & modis qua scilicet modorum possibilitem, esse potest.

§. 30. Si ens actuale concipiendum est; & ad ea quæ ratio sufficiens sunt ceterorum quæ rei insunt, vel inesse possunt, cognitionis nostræ initia sunt referenda: primo loco in eo ponenda est essentia; secundo autem loco ponendi sunt conceptus secundi. Ens enim actuale concepturi, & ex iis, quæ sunt ratio sufficiens ceterorum quæ rei insunt, vel inesse possunt, ex iis inquam, cognitionis nostræ initia facturi, primo loco ponere debemus prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, secundo autem loco ponere debemus quæ ex hisce determinantur prædicatis §. 25. Sed Illa prædicata constituant essentiam §. 7. Hæc autem prædicata constituant conceptum

conceptum rei secundum. §. 23. Si itaque ens actuale concipiendum est; & ex iis, quæ ratio sufficiens sunt ceterorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt, ex iis inquam, cognitionis nostræ initia sunt facienda: primo loco in eo ponenda est essentia; secundo autem loco ponendi sunt conceptus secundi Q. E. D.

§. 31. Essentia est primum, quod de ente actuali concipiatur, quando in ente actuali concipiendo ita progressimur, ut ab eo, quod ratio sufficiens est ceterorum quæ ei insunt, vel inesse possunt, ab eo inquam, initium fiat. Prædicata enim sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, per quæ autem cetera, quæ rei insunt, vel inesse possunt determinantur, hæc inquam prædicata, primo loco ponenda sunt, ubi in ente actuali concipiendo ita versamur, ut ab eo, quod ratio sufficiens est ceterorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt, initium fiat. §. 25. Eadem vero hæc prædicata essentiam entis constituant §. 7. Ergo essentia primo loco ponenda est, quando in ente actuali concipiendo ita versamur, ut initium ab eo, quod ratio sufficiens est ceterorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt, faciamus. Essentia ergo primum est, quod de ente actuali concipiatur, quando scilicet cognitionis nostræ initium fit ab eo in ente actuali, quod ratio sufficiens est ceterorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt. Q. E. D.

Hanc thesin probaturus, proxima hac ac compendaria

pendiaria via incedere quoque possum: *Essentia in ente actuali primo loco ponenda est, quando conceptus nostri initia sua faciunt ab eo, quod in ente actuali ratio sufficiens est ceterorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt* §. 30. Ergo essentia est primum, quod de ente actuali concipitur, quando in ente actuali concipiendo ita occupamur, ut ab eo, quod ratio sufficiens est ceterorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt, initium faciamus. Q. E. D.

§. 32. *Quicquid essentie entis repugnat, id illi enti inesse nequit.* Quicquid enim essentiæ entis repugnat, id repugnat etiam omnibus entis conceptibus secundis, quia posita essentia, ponuntur etiam omnes conceptus secundi §. 26. Sed ens actuale nihil aliud suo ambitu comprehendit quam essentiam, & conceptus secundos §. 29. Quicquid ergo repugnat essentiæ entis, repugnat quoque toto illi enti h. e. illi enti inesse nequit. Q. E. D.

§. 33. *Intrinsica rei possibilitas non reciprocanda est cum essentia.* Ens enim suo conceptu nec essentiam, nec conceptus secundos comprehendit §. 29. Sed ens est intrinsicè possibile, & intrinsicè possibile est ens §. 20. Ergo intrinsica rei possibilitas suo conceptu nec essentiam, nec conceptus secundos comprehendit. Non itaque reciprocanda est intrinsica rei possibilitas cum essentia. Q. E. D.

§. 34. *Essentia, & conceptus secundi enti actuali competunt.* Ens enim actuale suo conceptu essentiam, & conceptus secundos comprehendit §. 29.

Enti

Enti ergo actuali competunt essentia & conceptus secundi. Q. E. D.

§. 35. *Enti potentiali nec essentia, nec conceptus secundi competunt.* Ens enim potentialis est, quod nondum existit, existere tamen potest. Met. h. e. quod nondum existentiam habet, eam tamen habere potest. Enti ergo potentiali non competit essentia §. 19. Sed negato determinante, negatur quoque ejus determinatum: Enti ergo potentiali nec competit conceptus secundi §. 22. 23. 7. Liquido ergo constat, enti potentiali nec essentiam, nec conceptus secundos competere. Q. E. D.

§. 36. *Mero possibili nec essentia, nec conceptus secundi competunt.* Enti enim potentiali nec essentia, nec conceptus secundi competit §. 35. Sed ens potentialis est merum possibile, & merum possibile est ens potentialis. Met. Ergo merito possibili nec essentia, nec conceptus secundi competit. Q. E. D.

§. 37. *Posito ente, nec essentia, nec conceptus secundi ponuntur.* Ens enim suo conceptu nec essentiam, nec conceptus secundos comprehendit §. 29. & sic enti nec essentia, nec conceptus secundi competit. Posito itaque ente, non statim ponendum est, illud habere essentiam & conceptus secundos. Q. E. D.

§. 38. *Posito ente potentiali & mero possibili, nec essentia, nec conceptus secundi ponuntur.* Enti enim potentiali, nec essentia, nec conceptus secundi

cundi competunt §. 35. Posito itaque ente potentiali, non statim ponendum est, illud habere essentiam & conceptus secundos. Q. E. U.

Mero possibili nec essentia, nec conceptus secundi competunt §. 36. Posito itaque mero possibili, non statim ponendum est, illud habere essentiam & conceptus secundos. Q. E. A.

§. 39. Posito autem ente actuali, statim essentia & conceptus secundi ponuntur. Enti enim actuali & essentia, & conceptus secundi competunt §. 34. Posito itaque ente actuali, statim ponuntur essentia & conceptus secundi. Q. E. D.

§. 40. Posita essentia, ponitur quidem ens, ab non solum ens, sed etiam ens actuale. Posita enim essentia, ponuntur praedicata sibi mutuo non repugnantia §. 7. hisce positis, ponitur intrinseca rei possibilitas §. 2. & hac posita ponitur ens §. 20. Ergo posita essentia, ponitur ens. Q. E. U.

Posita essentia, ponuntur non solum praedicata sibi mutuo non repugnantia, sed etiam ejusmodi praedicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, quæ vero reliquis, quæ rei insunt, vel inesse possunt praedicatis determinandis inserviunt §. 7. Ast ejusmodi praedicata constituunt existentiam §. 19. Positis itaque praedicatis nominatis, ponitur existentia. Sed posita existentia, ponitur ens actuale, nam ens actuale est, quod existit, seu, quod habet existentiam. Met. Posita ergo essentia, ponitur ens actuale. Q. E. A.

§. 41. Unius

§. 41. Unius entis non nisi una est essentia, minime vero multiplex. Enti enim actuali sua competit essentia §. 34. Et posita essentia, ponitur ens actuale §. præced. Multiplicatis ergo essentiis, simul multiplicabuntur entia actualia. Ast per hypothesis non ponitur nisi unum ens actuale. Ergo ejus non potest esse nisi una essentia. Porro: Unum & multiplex ita sunt opposita, ut quod unum est, non possit simul esse multiplex. Unius ergo entis actualis non multiplex datur essentia. Q. E. D.

Ens hic uti & alias, & in subsequenti thesi pro ente actuali sumi, docent res ipsa & demonstrationes hisce propositionibus annexæ. Ubinam enim exstat entis restrictio ad solum ens? Anne loquutio de essentia, quæ ita ad ens actuale pertinet, ut de solo intelligatur ente actuali §. 34. cum reliquis collata, poterit excludi ab ente actuali? Non minus absurde aliquis ab ente actuali excluderet existentiam, quam ab hoc, quod loquimur, ente existentiam.

§. 42. Sublata essentia entis, aut parte essentiæ, tollitur illud ipsum ens. Unius enim entis essentia non est nisi una §. 41. Sublata ergo essentia entis, non amplius remanet essentia in illo ente. Ast essentia & existentia realiter non differunt §. 19. Sublata ergo essentia entis, tollitur existentia entis. Ast ens actuale est, quod existit, seu, quod habet existentiam. Met. Sublata ergo essentia entis, tollitur ens actuale. Q. E. U.

Essentiam partibus suis essentialibus ita absolvi, ut una earum sublata, essentia quoque tollatur,

D 3

tur, quisque facile concedere cogitur, qui considerat essentiam esse complexum essentialium. Ast sublata essentia entis, tollitur ens actuale per præced. demonst. Sublata ergo parte essentiali tollitur ens actuale. Q. E. A.

Dedita opera in thesi adhibui vocabulum: *illud*, eo indigitare volens, de ente actuale in hac thesi rem esse mihi. Sublata enim essentia entis actualis, seu existentia entis, tolli solum ens actuale, minime vero gentium ens, seu ipsam intrinsecam entis illius possibilitatem, inter omnes in Metaphysica vel parum versatos, plane est in confessu.

§. 43. *Quodvis ens eo existit modo, quem ejus determinat essentia.* Essentia enim determinat certum modum existendi per Hyp. Ponamus itaque ens alio existere modo, quam ejus determinat essentia; sed omne ens actuale suam habet essentiam §. 34. quæ itaque alia apta consequentia inde duceretur, quam quod ens actuale duplēcē habeat essentiam, alteram, quæ modum existendi determinaret, alteram, quæ eundem modum existendi non determinaret. Habet vero ens non nisi unam essentiam §. 41. Ens itaque actuale eo existere modo, quem ejus determinat essentia, est, quod subdubitare non possum.

§. 44. In doctrina de essentia entis intra arctos veri cancellos sese non continere Metaphysicos, sed satis hacce sua doctrina indicare, veritatem esse solem, cuius splendor sāpe in ipso quasi meridie perpetiatur ecclipsin, multosque perversos veritatis cultores in nocte sublucente, & similitudinem diei referente ambulare, quam luculentissime patet, ex propositionibus meis allatis, quarum veritas fortissimis & invictis

invictis argumentis (vincant ea adversarii si quid habeant roboris!) demonstrata est. Nova itaque refutandi opera hic fere supervacanea est. Ut autem dissentientibus reddatur manifestius, argumenta illa, quibus in sui præsidium utuntur, neque mihi obstat, neque illis favere, sistere ea in sequentibus volo, & confutationem statim subjicere. Agmen propositionum ulterius refutandarum dicit hæc quæ §. 319. Syst. Met. Cel. Wallerii continetur propositio. *Ens suo conceptu comprehendit & illa praedicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in eodem ente determinantur, & simul, que ex hisce determinantur praedicatis.* Hanc propositionem probatur, calculos ita subducit Cel. Wallerius: *Ens enim conipiendum est ut id, cui existentia non repugnat; sed existentia enti ideo non repugnat, quia est absolute seu intrinsece possibile.* Entis ergo conceptus ea continet, quibus interna ejus constituitur possiblitas. *Absolvitur proinde notionibus partialibus, b. e. predicatis, sibi mutuo non repugnantibus.* Hac autem entis praedicata, quæ sibi mutuo non repugnant, aut ita sunt comparata, ut neque a se invicem, neque ab alio priori in eodem ente determinantur, aut ex hisce positis determinantur b. e. aut sunt determinantia, aut sunt determinata; tertium ressuunt praedicata, de quibus sermo, & que intrinsecam constituant possibilatem, quæ, quæ talie nullam suorum praedicatorum ex rebus externis determinationem agnoscit. *Continentur itaq. in conceptu entis duplicitis generis, quæ memoravimus, praedicata.* Heic itaque Cel. Wallerius in eo totus est, ut ostendat, ens suo conceptu comprehendere & illa praedicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori, in eodem ente determinantur, & simul, quæ ex his determinantur praedicatis. Ast dum æqua mentis lance pensito demonstrationem allatam; satis perspicio, eum hoc non demonstrasse, sed potius in sua demonstratione committere fallaciam petitionis principii. Concedo Cel. Wallerio quæ in demonstratione allata facit conclusionem hanc:

hanc: absolvitur proinde entis conceptus preditatis sibi mutuo non repugnantibus, hanc inquam conclusionem ex genuinis principiis in eadem demonstratione adhibitis legitime fluere, & sic veram esse. Ast minime gentium concedere possum, Cel. Wallerum sine vitio ex suis præmissis necesse hanc conclusionem: continentur itaque in conceptu entis duplicitis generis, quæ memoravimus, predicata. Ita enim ratiocinatur: absolvitur conceptus entis predicatis sibi mutuo non repugnantibus, quod Philosopho pie eruditissimo & limatissimo judicio instructo jam concessi. Hac autem predicata, porro inquit, aut sunt ita comparata, ut neque a se invicem, neque ab alio priori in eodem ente determinantur, aut ex his positis determinantur. Unde denique concludit, in conceptu entis duplicitis generis, quæ memomta sunt, contineri predicata. Sed in hoc ratiocinio aperta committitur principii, quam dicimus, petitio, in hocce enim ratiocinio re ipsa assumit sine demonstratione, predicata entis sibi mutuo non repugnantia esse ita comparata, ut, aut nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, aut ex hisce positis determinantur, quod tamen ei demonstrandum erat, antequam legitime inferre potuit in conceptu entis duplicitis generis, quæ loquitur, predicata contineri. In saepius itaque nominata demonstratione demonstravit Cel. Wallerius, ens suo conceptu comprehendere sibi mutuo non repugnantia predicata, ast ens suo conceptu comprehendere & illa sibi mutuo non repugnantia predicata, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in eodem ente determinantur, & illa, quæ ex hisce determinantur predicatis, sunt quæ Celeberrimi Nominis philosophus Upsaliensis nullo modo probatum ivit, quæ tamen eum demonstrare oportet, antequam legitima & genuina censenda est thesis nominata. Quicquid demum sit, certissimum est, Cel. Wallerum in sua demonstratione solum evincere, ens suo conceptu solum comprehendere predicata sibi mutuo non repugnantia. Ast quomodo

quomodo hinc inferri potest, ens suo conceptu comprehendere & illa predicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in eodem ente determinantur, & quæ ex hisce determinantur predicatis? Nonne potius hinc patet contrarium? Unde argumentum in Cel. Wallerum sic invertio: Ens qua tale comprehendit solum predicata sibi mutuo non repugnantia. Ergo ens qua tale nec comprehendit illa predicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in eodem ente determinantur, nec, quæ ex hisce determinantur predicatis.

§. 45. Quæ in Ont. Wolfs. §. 142. adfertur propositio, cum hacce jam præcedenti §. refutata propositione convenit, ideoque eadem refutatione, ad quam hanc remisi, diluenda. Ut autem luculentius pateat, hanc Wolfianam propositionem esse cerebri Wolfiani commentum, & præpostorum Philosophema, & sic contundendam, penitus proscribendam & damnandam, volo pluribus propositionem illam prosternere. Si ens quoddam concipiendum, inquit, primo loco in eo ponenda sunt, quæ sibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alias determinantur, nec quorum unum per alterum determinatur. Hanc propositionem demonstratus, cum enim, inquit, ens ita concipi debat, ut existentia eidem non repugnet, seu ut existere posse intelligatur; ante in eodem concipienda sunt, per quæ possibile intelligitur, consequenter quæ sibi mutuo non repugnant. Quod si jam quedam ponni concipiā, que per alias determinantur; hec quidem determinantia sunt, illa vero determinata, consequenter illa demum bu positis ponuntur. Ens igitur concepturus primo loco ponere debes, quæ per alias non determinantur, sed aliis nondum positis intrinsecis ponit possunt. Quod si denique unum eorum quæ ponuntur, per alterum determinatur; istud denuo determinatum, hoc determinans est, consequenter hoc posito ponitur illud. Quamobrem cum ens concepturus quanamus, quidnam sit primo loco ponendum, non vero quid ea-

deus posito una ponatur, vi eorum quæ demonstrata sunt; inter ea que sibi mutuo non repugnare, hoc in casu referenda non sunt, que per alia determinantur. Utrum itaque ill. *Wolfius*, qui ita argumentatur, genuinum veri nexus perspiciat, di-judicandum jam venit. Mihi sane compertus est nihil minus perspicere. Primo itaque observo, illustri *Wolfio* heic sermonem esse non de ente actuali, sed de ente dum reciprocatur cum intrinsece possibili. §. 20. Idem itaque est, ac si, proposita hac thesi absurdâ: Si filius Sempronii non adhuc existens in posterum tamen qui existere potest, concipiendus est, primo loco in eo ponenda sunt anima rationalis & corpus organicum, si inquam hac proposita thesi, illam probatur, ita argumentarer: Cum enim filius Sempronii, qui adhuc non existit, in posterum tamen existere potest, ita concipi debeat ut existentia eidem non repugnet, seu ut existere posse intelligatur, ante concipiendum est, Sempronium, utpote qui jam ex ephebis excessit, adultiorque jam factus, & gignendi potentia prædictus est, posse matrimonio sibi jungere uxorem felicis uteri, siveque, quam sanctum castumque matrimonii jus exigit, memorem, quæque ideo suo marito Sempronio eniti potest filium. Quod si jam, intellectum, voluntatem, eruditionem, risum, in filio Sempronii, qui adhuc non existit, procedente tamen tempore existere potest, poni concipias, quæ per animam rationalem & corpus organicum ejus determinantur, anima rationalis & corpus organicum determinantia sunt, intellectus autem, voluntas, eruditio & risus sunt determinata, consequenter hacdemum illis positis ponuntur. Filium itaque hunc Sempronii qui adhuc non existit, existere tamen potest, concepturus primo loco ponere debes ejus animam rationalem & corpus organicum, quæ per alia in hocce filio Sempronii non determinantur. Quod si denique filii hujus intellectus, qui unum est eorum quæ ponuntur, per animam rationalem determinatur,

minatur, ille determinatum quidem est, hæc vero determinans quid est, consequenter hac posita ponitur ille. Quamobrem cum filium Sempronii non adhuc existentem concepturi, quæramus, quidnam sit primo loco in hocce filio Sempronii futuro ponendum, vi eorum quæ demonstrata sunt, hoc in casu non referenda sunt, intellectus ejus, voluntas eruditio & risus. Helleborum *Wolfianis* ita absurde concludentibus certe opus est. Nec si de ente actuali sermo est, nulla restrictione adhibita, in Philosophantibus primo loco urgere licet hæc nominata prædicata. Sæpe enim Philosophantes initia suæ considerationis faciunt ab attributis, & accidentibus entis actualis. Testor experientiam, testor quemvis prudentem lectorem tam veritatis foro, Præter nugas sonoras in hacce nominata paragrapgo *Wolfiana* itaque nihil occurrit, ad quas ultius retundendas abire, est sane repueriscere. Lectorem denique remitto ad §. 25. ubi illæ jam abunde quoque retusæ sunt, probata negatione, ens concepturos primo loco in eo ponere debere, quæ sibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia determinantur; probata autem affirmatione, prædicata hæc nominata, pro eo, unde initia sua cognitio nostra captura sit, urgenda esse, hacce adhibita restrictione, si cognitio nostra ex iis, quæ ratio sufficiens sunt ceterorum, quæ rei insunt, vel inesse possunt, initia sua factura sit.

Hujus erroris refutatio & errorem §. 144. *Ont. Wolf.* simul prosternit. Et quia propulsatus est ill. *Wolfius* cum hocce suo errore ab alma veritate in §. 31. hic nolo actum de novo agere. Quam debili itaque fundamento innitantur §. 145. 147. 150. 151. 156. in *Ont. Wolf.* facultatem Tibi L. B. judicandi relinquo.

§. 46. Occurrit jam grandis error refellendus §. 149. *Ontol. Wolf.* his contentus verbis: *Quicquid enti inest, id vel inter essentialia, vel attributa vel modos locum habet.*

Hancce propositionem, calculis ita submissis, probare conatur: Quicquid enim enti inest, id vel per alia determinatur, quæ simul insunt; vel per alia quæ simul insunt non determinatur. Quæ per alia, quæ simul insunt, non determinantur; ea vel aliis quæ simul insunt, determinandis inserviunt, vel aliis determinandis non inserviunt. Jam quæ per alia, quæ simul insunt, determinantur, attributorum in numero sunt; quæ per alia non determinantur, ipsa tamen aliis determinandis inserviunt, ad essentialia pertinent; quæ denique per alia quæ simul insunt, non determinantur, nec aliis, quæ una insunt, determinandis inserviunt, ea ad modorum classem referenda. Patet adeo, quicquid enti inest, id vel in essentialium, vel in attributorum, vel in modorum numero haberet. Sed qui oculo paulo attenuiori perlustraverit §. 29. 37. deprehendit fane, enti quæ tali nec essentialia, nec attributa, nec modos competere. Quis itaque non obstupesceret ad tantum errorem, quem in hac thesi & demonstratione prodit ill. Wolfs? Idem est, ac si in medium allata hac thesi absurdia: Quicquid nepoti Sempronii, adhuc non existenti inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel modos locum hahet, si inquam luci exposta hac thesi ridicula, aliquis eam demonstratus, ita argumentaretur: Quicquid enim nepoti Sempronii adhuc hanc in lucem non edito inest, id vel per alia determinatur, quæ simul insunt; vel per alia quæ simul insunt non determinatur. Quæ per alia, quæ simul insunt, non determinantur, ea vel aliis quæ simul insunt determinandis inserviunt, vel aliis determinandis non inserviunt. Jam quæ per alia, quæ simul insunt, determinantur, attributorum in numero sunt; quæ per alia non determinantur, ipsa tamen aliis determinandis inserviunt, ad essentialia pertinent; quæ denique per alia quæ simul insunt, non determinantur, nec aliis, quæ una insunt, determinandis inserviunt, ea ad modorum classem referenda. Patet adeo, quicquid nepoti Sempronii vi-

tæ hujus lucem adhuc non auspicanti, qui tamen aliquo tempore præterlapso, in hanc lucem suscipi potest, inest, id vel in essentialium, vel attributorum, vel in modorum numero haberi. Quantam non proderet infantiam ejusmodi argumentatio? Vix credo tam puerilem argumentationem cedere posse in hominem lignarium aut carbonarium. Eadem vero est ratio argumentationis Wolfsæ. Hinc ad hosce errores Wolfsanos prolixius resellendos descendere, est in pueritiam revocari, & infans denuo fieri. Ut autem quisque citra controversiam deprehendat, mihi non deesse longe plura, quibus hacce §. Wolfsana jure urgeri possit; paucis ostendere volo, in quo vitium demonstrationis hujus Wolfsana consistat. Recte quidem ill. Wolfs in sua demonstratione asserit, quicquid enti inest, id vel per alia determinari, quæ simul insunt; vel per alia quæ simul insunt non determinari. Sed si, quod vi principii exclusi medii recte asseruit ill. Wolfs, verum est, ut omnino est; non video, quomodo ill. Wolfs ponere recte possit, enti inesse & illa, quæ per alia quæ simul insunt, non determinantur, & illa, quæ per alia quæ simul insunt, determinantur? Certe hoc ipso negat, quod jam recte vi principii exclusi medii ajebat, quicquid enti inest, id vel per alia quæ simul insunt, determinari, vel per alia quæ simul insunt, non determinari, & aperte principio contradictionis impingit. Sic v. g. recte vi principii exclusi medii statuo, illud, quo hacce verba delineo, aut esse attramentum, aut non esse attramentum. Sed si, quod jam dixi, verum est, hoc, quo hacce verba depingo, aut esse attramentum, aut non esse attramentum; in promptu est, me statuere non posse, illud, quo hacce verba describo, & esse attramentum, & simul non esse attramentum. Si enim hoc statuerem; eo ipso adstruita destruerem, & aperte principio contradictionis impingerem,

§. 47. Execienda jam est hæc §. 324. Syst. Met. Wall. propositio: *per essentiam ens est intrinsece possibile, in qua demonstranda hancce adhibet methodum Cel. Wallerius: Vidimus enim modo essentiam entis consistere in predicatis sibi mutuo non repugnatis, quæ negat se invicem, negat ab alio trivio in re determinantur.* Per essentiam itaque ens nullam involvit repugnantiam, consequenter ens per essentiam est possibile. Quia haec non-repugnans inter predicatione, quæ rem in se, seu in conceptu suo primo constituant, sine ullo alio supercedente respectu, persatur, non nisi intrinsecam & absolutam generat possibilitem. Porro, quoniam in essentia entis est ratio sufficiens omnium conceptuum ejus secundorum, patet horum possibilitem tandem resolvi in possibilitem essentie. Habet ergo ens vi sua essentia, possibilitem intrinsecam. Sed quemadmodum veritas semper sibi inconcussa constat; ita demonstratione hac nec evincere potest Cel. Wallerius, falsam suam thesin veram esse. Dispiciamus itaque, anne sua demonstratione extra dubium ponat suam thesin Cel. Wallerius. Quoniam autem in vocabulis thesin nominatam ingredientibus occurrit aequivocatio quedam; ipsam Cel. Wallerii mentem ante evolvere mihi injunctum est, quam ostendere possim eam erroneam esse, ne ostendendo falsitatem theseos ei adsingere ac impunitare videar sensum, cuius clara vestigia non existent. Nostandum itaque, hanc loquendi formulam: *per essentiam ens est intrinsece possibile, nihil aliud sibi velle, quam ut ens, via essentia, habeat intrinsecam possibilitem, seu ut essentia sit fundamentum intrinsecæ possibilis.* Et hanc esse Cel. Wallerii mentem, aperte & abunde prodit cum in conclusione demonstrationis hujus, quam nunc instingere conamus, tum in prima annotatione §. 328. In eo itaque occupatus sum, ut ostendam Cel. Wallerium, non demonstrare genuine essentiam esse fundamentum intrinsecæ possibilis. Ex eo quod essentia entis consistat in predicationis sibi

bi mutuo non repugnantibus, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, ex eo inquam concludit Cel. Wallerius, per essentiam ens nullam involvere repugnantiam, consequenter ens per essentiam esse possibile h. e. essentiam esse fundamentum possibilis. In hac conclusione tacite supponit Cel. Wallerius, ut acerrimus quisque rerum censor videt, ex eo, quod essentia entis consistat in predicationis sibi mutuo non repugnatis, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, ex eo inquam, sequi, ut per essentiam ens habeat predicatione sibi mutuo non repugnans, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur h. e. ut essentia sit fundamentum predicatorum sibi mutuo non repugnatum, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur. Sed in hacce argumentatione nulla videtur esse consequentia. Ex eo enim, quod essentia entis consistat in predicationis sibi mutuo non repugnatis, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, ex eo inquam, solum sequitur, essentiam entis constituere predicatione sibi mutuo non repugnans, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, vel, essentiam & predicatione nominata pari passu ambulare; minime vero ex eo, quemadmodum Cel. Wallerius putat, sequitur, ut per essentiam ens habeat predicatione sibi mutuo non repugnans, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur h. e. ut essentia sit fundamentum predicatorum sibi mutuo non repugnatum, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur h. e. ut essentia sit fundamentum predicatorum sibi mutuo non repugnatum, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, ex eo inquam, fluere, ut per essentiam ens habeat essentiam h. e. ut essentia sit fundamentum essentia, essentiam enim definit Cel. Wallerius per predicatione

prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur. Sed ridiculam esse hancce argumentationem quisque videt. Ergo de argumentatione Walleriana idem dicendum est. Quoniam itaque ex eo, quod essentia entis consistat in prædicatis sibi mutuo non repugnantibus, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, ex eo inquam, non profluit, ens per essentiam habere prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur; quis est, qui non videt, ex dicta essentiæ definitione nec fluere, per essentiam ens esse possibile. Quod si ex dicta essentiæ definitione non fluat; nec ex nominata essentiæ definitione colligere licet, ens per essentiam esse intrinsece possibile. Hecce autem, quam jam incessi, confutandi via si Lectori Benevolo non arrideat; eam *Cel. Wallerium* confutandi rationem inire jam' volo, ut ex eo, quod concedatur ex dicta essentiæ definitione colligi posse, ens per essentiam habere prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, ex eo inquam, solum colligere licitum esse affirmem ens per essentiam habere possibilitatem non-meram seu possibilitatem cum existentia, seu essentia conjunctam, existentiam enim definivi per complementum possibilis, quo ejusmodi prædicata sibi mutuo non repugnantia habet, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, quæ vero reliqua quæ rei insunt, vel inesse possunt prædicata, determinant; minime vero ex eo, quod ens per essentiam habeat prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, colligere licet, ens per essentiam habere meram possilitatem. Hacce enim argumentandi ratio si quid haberet valoris & pretii; decus suum & pretium nec denegari posset huic argumentandi rationi: Hominis essentia consistit in anima rationali,

nali, & corpore organico. Per essentiam itaque habet homo animam rationalem & corpus organicum, consequenter per essentiam habet homo meram possilitatem corporis organici & animæ rationalis. Quibus crepundiis discutiendis immorari nolo. Quoniam itaque ex dicta essentiæ definitio ne colligere non licitum est, per essentiam ens esse possibile merum, nec ex illa colligere licet, per essentiam ens esse merum intrinsece possibile, quas tamen consequentias inde necesse studuit *Cel. Wallerius*. Hanc thesin *Cel. Wallerii* hoc quoque argumento ulterius refringere licet: Essentia & existentia realiter non differunt §. 19. Si itaque per essentiam ens esset merum intrinsece possibile, h. e. essentia esset fundamentum meri intrinsece possibilis; in promptu esset, existentiam etiam esse fundamentum meræ intrinsecæ possibilis, quis autem sanæ mentis hoc statuit? Ad convellendam nominatam thesin hoc quoque permultum facit, quod eodem jure, quo *Cel. Wallerius* demonstrat, ens per essentiam esse merum intrinsece possibile, demonstrari etiam posset, ens per existentiam esse merum intrinsece possibile. Sed hancce demonstrationem absurdissimam fore, neminem negaturum existimo. Ergo absurditatem demonstrationis *Cel. Wallerii* nemo non agnoscere quoque cogitur. Ceterum quallem formam & faciem indueret hæc demonstratio, cuique, ut credo, facile apparet, qui modo rite attenderit ad illam, quam condidi, existentiæ definitionem, & ad demonstrationem hancce Wallerianam. Hisce itaque probe notatis, & iis, quæ circa §. 13. 28. a me allata sunt, bene observatis, abunde constat, thesin §. 324. *Syst. Met. Wall.* in qua refutanda hacce §. occupatus fui, penitus proscribendam esse. Et quæ §. 153. 154. 155. *Ont. Wolf.* apparent spectra, evanescunt, confido, ad lucem veritatis hacce §. datam. In primis vero quod attinet ad hocce corollarium Wolfianum §. 153. Pateret adeo essentiam ensis possilitate ejus intrinseca ab solvi,

soluti, ineptis sane illi. Wolfs cum tota hac sua consequentia.
Ab hoc enim quod per essentiam eius sit possibile, argumentari ad illud quod essentia intrinseca rei possibilite absolvatur, est puerile ulteriore response indignissimum.

§. 48. Jam accedimus ad propositionem §. 325. Syst. Met. Wall. *Per quod ens est intrinsece possibile, illua est ejus essentia.* Hancce propositionem ad hosce revocat calculos: *Consistit intrinseca rei possibilitas in non-repugnantia notionum partialium, quibus constat totalis.* Positio itaque illis praedicatis seu notionibus partialibus, quæ sibi invicem non repugnant, neque ab alio priori in ipsa re vel a se mutuo determinantur, reliquis vero determinandis inserviunt, ponitur ipsum determinans possibilis interne. Hac igitur ideo est, quia illud ponitur. *Constituitur autem ipsa entis essentia ejusmodi praedicatis.* Ergo per quod ens est intrinsece possibile, illua est ejus essentia. Sed quoniam jam infragibile argumentum pro explodenda thesi §. 324. dedi; consequitur inde, ut etiam thesis §. hujus 325. debili admodum stet tali. Et dum demonstrationem Auctoris scrutinio veritatis subjicio; deprehendo, illam propositionem hanc non adeo corroborare, ut potius eidem obstat. Concedo enim Cel. Wallerio, intrinsecam possibilatem consistere in non-repugnantia notionum rei partialium, quibus constat totalis. Ast, salva veritate, concedere non possum, positio praedicatis illis, seu notionibus partialibus, quæ sibi invicem non repugnant, neque ab alio priori in ipsa re, vel a se mutuo determinantur, reliquis vero determinandis inserviunt, ponit ipsum determinans interna possibilis. Ex eo enim, quod ponantur praedicata nominata, solum consequitur, ut ponatur quoque intrinseca possibilis, haud secius, ac posita existentia, ponatur quoque intrinseca possibilis, cuatenus existentia est aliquod intrinsecæ possibilis complementum. Minime vero ex eo, quod ponantur illa, quæ diximus, praedicata, colligere nobis integrum est, ponit ipsum

psum determinans intrinsecæ possibilis, ut vult Cel. Wallerius. Nam hoc ipsum est, quod per immediatam consequiam jam negavi summo meo jure §. præcedenti, & quod Cel. Wallerius nec demonstravit. Verum enim quidem est, positis prædicatis illis, quæ sibi invicem non repugnant, & quæ neque ab alio priori in ipsa re, neque a se mutuo determinantur, reliquis vero determinandis inserviunt, ponit quoque prædicata sibi mutuo non repugnantia, & sic interna rei possibilis §. 2. Sed ex eo, quod, positis prædicatis, quæ sibi invicem non repugnant, neque ab alio priori in ipsa re vel a se mutuo determinantur, ponatur interna rei possibilis, non ante consequitur, prædicatis illis sæpius nominatis positis, ponit ipsum determinans interna possibilis, quam Cel. Wallerius demonstraverit hunc canonem Metaphysicorum: posito determinante ponitur determinatum, hunc inquam canonem verum esse solum, & hunc canonem Metaphysicorum esse falsum: posito determinato ponitur determinans. Sed eum hoc demonstrasse apparebit ad calendas Græcas. Et nisi memoria me defecerit; statuit Cel. Wallerius, in suo Systemate Metaphysico, canones allatos utrosque esse veros. Ex eo itaque, quod positis prædicatis sæpius nominatis, ponatur interna rei possibilis, neque fluit, ut prædicata sæpius nominata sint determinans, & interna rei possibilis sit determinatum, neque secundo fluit, ut prædicata illa nominata sint determinatum, & interna rei possibilis sit determinans. Et si dicendum quod res est; prædicata sibi mutuo non repugnantia, quæ nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, reliquis vero determinandis inserviunt, hæc inquam prædicata nec sunt determinans internæ rei possibilis, nec interna rei possibilis determinatum eorum est, nec interna rei possibilis est determinans prædicatorum nominatorum; nec prædicata nominata ejus determinatum. Certe argumentandi

ratio Wallenaria, eadem est cum hac: Posita anima rationali & corpore organico, ponitur non-repugnantia praedicatorum, positis autem praedicatis sibi mutuo non repugnantiibus, ponitur interna possibilitas rei. Posita itaque anima rationali & corpore organico, ponitur ipsa interna possibilitas animae rationalis & corporis organici, & sic ipsum determinans interna possibilitatis animae rationalis & corporis & organici; vel cum hac: Consistit intrinseca hominis possilitas in non-repugnantia animae rationalis & corporis organici. Positis itaque anima rationali & corpore organico, ponitur ipsum determinans interna hominis possilitatis. Egregia consequentia! Eadem vero est vis argumentationis Wallerianæ. Quoniam itaque, positis illis praedicatis, quæ sibi invicem non repugnant, & neque ab alio priori, vel a se mutuo determinantur, reliquis vero determinandis inserviunt, non ponitur ipsum determinans interna possilitatis; interna possilitas non ideo est, quia illa praedicata nominata ponuntur. Constituitur autem ipsa entis essentia ejusmodi praedicatis. Ergo interna possilitas non ideo est, quia ponitur essentia, ut vult Cel. Wallerius, & consequenter falsum est, illud, per quod ens est intrinsece possibile, esse ejus essentiam. In summi itaque & ob sua in ecclesiam & orbem eruditum merita non exigua, nominis celebritate inclarentis viri concedere sententiam nullo modo possum.

§. 49. Jam memet accingo ad considerandam §. 326. Syst. Met. Wall. in qua thesis hisce continetur verbis: *Quicquid repugnat essentia entis, est illi absolute impossibile, seu absolute impossibile est, ut illi enti competit;* demonstratio autem hisce comprehenditur verbis: *Habet ens per essentiam intrinsecam possilitatem.* *Quicquid ergo essentia entis repugnat, illud contradicit intrinseca ejus possilitati,* adeoque illi enti est absolute impossibile. Quod ad ipsam thesin attinet, illam veritatem

titati consentaneam esse §. 32. demonstratum est. Sed quod ad demonstrationem hujus theses attinet, ex falso omnino fundamento demonstrari conatur suam thesin Cel. Wallerius. Nam ex hoc falso fundamento §. 47. suam thesin corroborare studet, quod ens per essentiam babeat intrinsecam possilitatem.

§. 50. Missa autem §. 326. Syst. Met. Wall. meam dicare jam volo operam §. subsequenti 327. In qua thesis hisce exprimitur verbis: *Entis conceptus prater essentiam simul comprehendit conceptus secundos;* demonstratio autem ita exprimitur: *Ens enim suo conceptu continet & illa praedicata sibi mutuo non-repugnantia, qua nec a se invicem, nec ab alio priori in re determinantur, & simul illa, qua ex hie praedicatis determinantur:* illa essentiam entis absolvunt, hæc conceptus entis ejus secundos constituant. Ergo ens prater essentiam, seu conceptum entis primum, simul comprehendit conceptus entis secundos. Paucis jam dispiciendum erit, cur pro vera haberi nequeat hæc §. Dabo ergo, quod nervum rei proxime tangit. Novimus principiatum sequi naturam principii, adeo ut si principium fuerit falsum & erroneum, principiatum etiam erit tale. Hancce itaque §. falsam esse, intelligitur satis, dum observamus, hancce §. referre naturam principiati, & §. 319. Syst. Met. Wall. esse ejus principium, adeoque non posse esse veram, nisi vera sit §. 319. Sed hancce §. nervis suis destitutam esse, antea §. 44. fas sis ostendi. Ergo etiam nervis suis caret hæc §.

§. 51. Nuncio §. 327. misso, sub examen jam revocare lubet §. 328. in qua ita ratiocinatur: *Quia omne ens est intrinsece possibile, & vicissim, omne intrinsece possibile est ens:* *Entis vero conceptus prater essentiam simul comprehendit conceptus secundos;* intrinsecum possibile, qua tale, seu intrinseca possilitatis plura includit, quam que præcise notionem essentia continentur. Non ergo reciprocanda est intrinseca possilitas cum essentia.

sentia. Intrinsicam possibilitatem non reciprocandam esse cum essentia, supra jam §. 33, ostensum est. Ast alio prorsus sensu existimat Cel. Wallerius, intrinsicam possibilicatem non reciprocandam esse cum essentia. Existimat enim Cel. Wallerius intrinsicam possibilitatem plura includere, quam quæ præcise notionem essentiæ constituant, & hoc sensu dicit, intrinsicam possibilitatem non reciprocandam esse cum essentia. Ast hoc sensu dici posse, intrinsicam possibilitatem reciprocandam non esse cum essentia, est quod jam per immediatam consequentiam §. 33. negavi; & quod Cel. Wallerius, sua demonstratione nec extra dubitationis aleam ponit. Concedo enim Cel. Wallerio, omne ens esse intrinsicè possibile, & vicissim, omne intrinsicè possibile esse ens; nullo autem modo concedere possum, entis conceptum præter essentiam simul comprehendere conceptus secundos, hoc enim cum §. præced. tum §. 29. antea negavi. Quod cum ita sit; patet, non eo sensu negandum esse, intrinsicam possibilitatem reciprocandam esse cum essentia, quasi intrinsicè possiblitas plura includeret, quam quæ præcise notionem essentiæ ingrediuntur. A veritatis ergo tramite aberrat Cel. Wallerius, quando eo, quem jam diximus, sensu putat, intrinsicam possibilicatem non reciprocandam esse cum essentia.

§. 52. Sequitur jam, ut examini subjiciamus §. 329. In qua hancce propositionem: *Essentia omni enti constanter competit*, ita probatum ire satagit Cel. Wallerius: Omne enim ens habet intrinsicam seu absolutam possibilicatem, sed hanc vi essentia possidet; quare si sua destituieretur essentia, vel hoc aliquid cessaret, simul privaretur sua possibilicatem, vel aliquando cessaret, in impossibilitatem degeneratura, ideoque ens abiret in non-ens, quod tamen absurdum esse evincit omnimoda disconvenientia inter ens & non-ens. *Essentia ergo omni enti constanter competit*. Si quantum prodit ingenii, tantum haberet vi-

rium hæc demonstratio, ejusdem auctori acuminis gloriam esset allatura, & entibus recta ratiore prædictis eandem defendendi necessitatem imponeret. Sed dum judicio & cogitationibus in hacce demonstratione defixus hæreo; deprehendo illam rationi adversum quid tenere. Quo itaque loco habenda sit hæc demonstratio, indice digito monstrabo. Qui ad demonstrationem nominatam rite attendere vult, reperire potest, totum argumentandi nervum in eo consistere, quod Cel. Wallerius existimet, ens vi essentiæ habere absolutam possibilicatem. Ast hoc ipsum ut ridiculum commentique plenum §. 47. jam rejici. Non ergo valet tota hæc prætenfa demonstratio. Domus autem, subruto & subverso, cui superstruitur, fundamento, præceps distractaque in exitium ruit. Eodem ergo istu, quo concussa est §. 229. collabitur quoque conclusio §. 330. Et quoniam hæc conclusio falsa & erronea est; circa ulteriore deductionem statim patet, nec melioris farinæ esse hanc, quam in §. 331. dicit, conclusionem: *essentia possibilitatibus insunt*.

§. 53. Animo pensitate, atque evolvere jam volumus §. 332. in qua propositio hæc in duo membra divisa exstat: *Posito ente, ponitur ejus essentia, & posita essentia, ponitur ens*. Quod verum sit prius membrum, probatum ire conatur Cel. Wallerius ita: *Omnis enti constanter competit essentia, neque haec unquam privari potest*. Posito itaque aliqua esse ens, statim ponendum est, illud habere essentiam. Et verum esse posterius membrum, calculo ita determinat: *Posita essentia, ponuntur prædicata sibi mutuo non repugnantia, his positis ponitur interna possibilis, & haec posita ponitur ens*. Ergo posita essentia ponitur ens. Posterior quod concernit membrum, illud & sua constare veritate, & ex genuino fundamento demonstratum esse lubens concedo. Quod vero prius attinet membrum, illud veritatis radiis coruscare nemo affirmaverit, nisi ipsius veritatis inops. Cogitanti enim mihi, cujus valoris sit ille,

qua

quæ ei annexitur, demonstratio, patet argumentationis ejus vim intrigi, quod omni enti constanter suam competere essentiam, jam falsum esse §. præc. approbaverim.

§. 54. In hac §. 333. propositione: *Unius entis non nisi una est essentia, minime multiplex*, consideranda meam desiderari non patior operam. Hanc propositionem calculis ita approbare annititur *Cel. Wallerius*: *Cuilibet enim enti sua convenit essentia, & posita essentia ponitur ens. Multiplicatis ergo essentiis, simul multiplicabuntur entia.* Ast per hypothesin ponitur non nisi unum ens. Ergo ejus non potest esse nisi una essentia. *Unum & multiplex ita sibi opponuntur, ut, quod unum est, non possit simul eodem respectu esse multiplex.* *Unius ergo entis multiplex non datur essentia.* Error sane est, *Cel. Wallerii* sensu statuere, unius entis non nisi unam esse essentiam. Aliud enim sane est dicere: unius entis non nisi unam esse essentiam; aliud: unius entis actualis non esse nisi unam essentiam. Hanc posteriorem sententiam non esse *Cel. Wallerii*, docet prætensa illa, quam ad suam confirmandam thesin adfert, demonstratio. In hac enim dicit, cuilibet enti suam convenire essentiam, & posita essentia solum poni ens. Ast cuilibet enti suam convenire essentiam, & posita essentia, solum poni ens, est quod argumentis, antea §. 34. 52. 40. in *Cel. Wallerium* retortis, negavi. Unde per inversionem sic argumentor: *Cuilibet enti sua non competit essentia, nec posita essentia, solum ponitur ens.* Ergo falsum est, unius entis non nisi unam esse essentiam. Antea quidem §. 41. adhibui quoque hanc thesin, sed qui vel paululum considerat ea quæ circa illam monui §. statim perspicit, me in eandem sententiam non dicere. Quo observato, simul concidit, & omne suum decus amittit §. 334. conclusio: *unum idemque ens, prout vel actu vel potentia consideratur, non diversam, sed unam eandemque babet essentiam.*

§. 55. Jam

§. 55. Jam examinare lubet propositionem §. 335. *Quodvis ens eo existit modo, quem ejus inferat essentia.* Cujus propositionis veritatem ita depingere atque ob oculos ponere studet *Cel. Wallerius*: *Modus existendi, quum ipsam determinet existentia rationem & indolem, huic vel isti enti competentem, non potest in eadem existentie indole, que hec determinati rexit nomine, determinans vero nequit uno eodemque respectu simul esse determinatum, modus inquam, iste nequit ergo in existentia, sed essentia eius consistere.* Quare si ens alio existere modo, quam ejus infert essentia, quia quodlibet existens juam habet essentiam, duplum haberet ens essentiam, alteram, que non inferret istum modum per hyp. alteram, que eundem inferret per demonst. Habet vero ens quodvis non nisi unam essentiam. Absurdum ergo est statuere aliquod ens alio existere modo, quæ quem ejus infert essentia. Ostendam ergo, *Cel. Wallerium* hanc per se verissimam thesin §. 43. sed falsam in applicatione & sensu ejus argumentis suis non confirmare, & ab exceptionibus vindicare. Quod itaque ad ipsam spectat demonstrationem, assumit in ea tanquam verum, modum existendi determinare ipsam existentiae rationem & indolem, huic vel isti enti competentem. Unde cum modus existendi sit determinans, existentia autem ratio & indoles huic vel isti enti competens sit determinatum; determinans vero nequeat uno eodemque respectu esse determinatum: concludit *Cel. Wallerius*, modum existendi non posse in existentia, sed essentia eius consistere h. e. (ut sensum *Cel. Wallerii* Tibi L. B. palpabiliorem sistam) non existentiam, sed essentiam inferre modum existendi. De hacce autem assumptione dum ex principiis rationis judico; deprehendo his directe repugnare, eam esse veram & genuinam. Modum enim existendi, & ipsam existentiae rationem & indolem pari passu ambulare, neminem sensu communis vel leviter instructum negaturum esse existimo. Cum itaque modus existendi, & ipsa existentiae ratio

G

tio & indoles sint synonyma; nullo modo existendi modus enti competens determinare potest ipsam existentia rationem & indolem enti competentem h. e. modus existendi non potest esse determinans, existentia autem ratio & indoles ejus determinatum. Si enim hoc verum esset; verum quoque esset, determinans posse uno eodemque respectu simul esse determinatum, quod tamen principio contradictionis repugnat. Cum itaque illa assumptio falsa sit; conclusio quoque, nominatae suppositioni nixa, vacillat & collabatur. Immo fac, modum existendi ipsam determinare existentia rationem & indolem. Quomodo inde probabitur, essentiam inferre modum existendi, seu modum existendi consistere in essentia? (essentiam enim inferre modum existendi, seu modum existendi consistere in essentia, sunt *Cel. Wallerius* in hacce ejus demonstratione synonyma). Cum enim per nominatam hypothesin, modus existendi ipsam determinet existentia rationem & indolem; & sic modus existendi sit determinans, existentia autem ratio & indoles sit determinatum; determinans vero nequeat uno eodemque respectu esse determinatum: inde sane consequens est, ut modus existendi non possit non determinare, seu inferre ipsam existentia rationem & indolem; minime vero inde consequitur, ut non existentia, sed essentia inferat modum existendi, seu ut modus existendi non in existentia, sed essentia entis consistat. Quomodo enim hæc consequentia quam inde deducere vult *Cel. Wallerius*, rite deduci possit, certe non video. Hanc itaque nominatam conclusionem non sine vitio ex præmissis deduxit *Cel. Wallerius*. Id quod observasse, est ostendisse, consequentias, quas inde ope aliarum propositionum in hacce demonstratione porro necit, non admitti posse tanquam ex antea præmissis diffluentes h. e. *Cel. Wallerius* non demonstrasse suam thesin, adeo ut pluribus observationibus hoc meum effatum adstruentibus plane non opus sit.

§. 56. Hæc

§. 56. Hæc hactenus. Restat, ut nobiscum reputemus §. 336. propositionem: *Sublata essentia entis, aut parte essentiiali, tollitur ens*, quæ propositio itaque in duo abit membra. Prius membrum probatur a *Cel. Wallerio* ita: *Quoniam enim unius entis non est nisi una essentia, bac sublata tollitur omnne, per quod ens est intrinsece possibile. Intrinseca autem possibilite, qua ens absolutur, sublata, tollitur ens. Sublata ergo essentia, tollitur ens.* Posterioris membrum ita demonstratur: *Essentiam partibus suis essentialibus ita constitui, ut una earum sublata, essentia non possit manere eadem, quivis facile assequitur. Quamobrem, quum unius entis, non sit nisi unica essentia, quæ ei constanter competit, sublata parte essentiiali, amplius manere nequit idem ens.* Quod ad ipsam propositionem attinet, illam luce veritatis coruscare lubenter concedo, si in illa per ens intelligatur ens actuale, & hoc sensu eam §. 42. ame demonstratam vides. Sed intelligit *Cel. Wallerius* in hac sua thesi per ens intrinsece possibile, minime vero ens actuale. Ubinam enim est vel minimum hujus sensus vestigium? Ego fane nullum deprehendo. Hinc quoniam *Cel. Wallerius* in sua thesi non intelligit ens actuale; hancce fallam thesin nec suis demonstrationibus fulcit. Nam quod prioris membra demonstrationem attinet, illa ex antecedentibus jam perse corruit. Passim enim in antecedentibus demonstratam est, errorem esse, unius entis non esse nisi unam essentiam sensu scil. Walleriano: errorem esse, essentia sublata, tolli omnne id per quod ens est intrinsece possibile. Quod iterum pertinet ad posterioris membra demonstrationem, concedo essentiam partibus suis essentialibus ita constitui, ut, una earum sublata, essentia non possit manere eadem. Sed quoniam in antecedentibus probatum est, errorem esse, unius entis non esse nisi unam essentiam sensu scil. Walleriano: errorem esse, enti constanter competere essentiam; corruit quoque ipsa hæc demonstratio.

G 2

§. 57. Hæc

§. 57. Hæc hactenus tradita qui, præjudicatis opinioribus longius facessere jussis, observat, atque ipsa veritatis possessione lætatur, Ariadnæo quasi filo instructus est, quo labyrinthum hunc philosophicum tuto possit evadere. Sed proh dolor! frustra exspecto forsitan adversariorum convictionem. Fit enim saepius hominum malitia, invidia, levitate, ignorantia & præjudiciis, ut veritas, cuius custodia cultusque ubique florere debeat intemeratus, nihilominus indignis modis lacestatur, & quo major sit ejus vis, eo turpiorem in modum conculcetur. Sed licet etiam acerrimum mihi bellum, acie quasi instructa, inferant pugnaces & lacertosissimæ; tamen animum meum nec frangere, nec tropæ sibi erigere possunt. Veritas enim ut est suis cultoribus condimento in rebus adversis; ita magna est ejus victoria ad savissimos tandem, Adjuvante DEO, tendens triumphos,
Cui Soli Gloria, Honor, Laus & Potentia!

Pag. 1. l. 15. seculorum, lege seculorum; 1. 18. seculis, lege seculis; pag. 4. l. 16 qd, lege que; pag. 5. l. 7. præcid, lege præced; pag. 6. l. 8. negotiouem, lege negationem; pag. 12. l. 9. Metaphysici, lege Metaphysici; pag. 14. l. 19. satisficiens, lege sufficiens; pag. 15. l. 26. Metaphysicorum, lege Metaphysicorum; pag. 21. l. 1. fir, lege est; pag. 22. l. 10. & l. 13. conceptum, lege conceptuum; l. 17. constanter, lege constanter; pag. 23. l. 19. incliduntur, lege includuntur; pag. 24. l. 3. illa, lege illa. His & aliis ejusmodi virtus ignoscas velim B. 4.

